... Albrachtus
Episcopus Cracoviensis.

Bielecki Martini: Bene et feliciter principale et praevaleum – J. Alb. Denhoff – consecratum.

BENE & FELICITER PRINCIPALE, AC PRÆSULEUM;

CELSISSIMO,
JLLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,
S. R. I. PRINCIPI,
D. GEORGIO ALBRACHTO
DENHOFF,
EPISCOPO CRACOVIEN: DUCI SEVERIÆ, SUPREMO REGNI,
& DESIDERATISSIMO ACADEMIÆ CRACOVIENSIS
CANCELLARIO:
Inter Auſpicata Solennia
Splendidiſſimi Ingreſsûs
Ad Inclitam Regni Metropolim, Sedemq;
Suam Epiſcopalem
CRACOVIAM;
Publicæ lætitiæ & officioſi cultûs gratiâ
CONSECRATUM.

A

M. MARTINO BIELECKI,
Collega Maiore, Regio & Tyliciano Eloquentiæ Profeſſore,
S. ANNÆ *Cracovien:* CANONICO.

Anno Domini BENE & FELICITER venientis, in Salutem
Humani Generis 1701. Die Nona Octobris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

AD ILLVSTRISSIMAM, & EXCELLENTISSIMAM CELSITVDINEM

SCAZON.

PRinceps corusco Sole clariùs spargens
Ignes, novæ felicitatis, in Craci
Orbem, diu sub nubibus malignantis
Fati, gementem; FASCIA MALACHOVÎ
Scissâ; atq; PINU DAMBSCIJ, repentino
Motu, eruta; quantus dolor! sed ô quanta!
Nunc faustitas! cunctis adest, ad ingressum,
PRÆSUL TUUM! qui rebus arduis semper
Solamen es: Tu Cor, & Os Polonorum
Regum; Decus Gentis Tuæ, perennantis
Per sæculorum plurimos retrocessus,
Et mille fastis gloriæ, celebratæ.
Quis ergo plausus non canat? quis ad plantas
Non procidat? Celsum CAPUT salutando.
Plaudit Diœcesis, triumphat Urbs, Monsq;
Vavellus assurgit sub Astra Pastori,
Vivat canens, Vivat! perennet æternum!
Et Pallas occurrit Choris Camænarum
Stipata, Cancellario, Patri, supplex
Pangit: BENE & FELICITER VENI PRINCEPS.

ADALBERTVS de Kurozwęki MĘCINSKI,
CAPITANEVS OYCOV:

Extra duas felicitatis partes, tertiam quam in vita præponas nullam esse existima, BENE facere & BENE audire.
Innocentius Petricius in Principe Polono.

PANEGYRICUS.

BENE & FELICITER veniat: ſolenne iſtud ſalutationis boniq́; ominis acrôâma, pridem ad auguſta auſpicatæ Inaugurationis Tuæ Pontificalis ſolennia, præfari; flagrantiſſimis votis expetebat, Sedes ac Magiſtra Studiorum Regni Academia Cracovienſis: veneratura in Te, præſtantiſſimum DEI munus, quo gaudia felicium, vota omnium ſuperaret, CELSISSIME PRINCEPS, PONTIFEX OPTIME. Nunc iam, Cælo optata eventibus ſuperânte, Teq; Tuos præbente Divos lætitiæ ac felicitatis publicæ auſpices; & nobis votorum fiduciam tenentibus: quidni idem voce, calamo ingenioq́;, vt in immenſis poſiti gaudijs ſolent, exultantiùs ácclamando, ingeminet? BENE & FELICITER veniat. Qui naſcendo, cùm Divûm vitam, dextro

Penatiū Genio áccepiſſet, Divis permiſtos Heròás Avos Atavoſq́; ſuos, longâ continuaq́; ſerie recenſet; nec faſtidit humana, quò Superis propior, eò placidior: inter opaca, horridaq; noctium, non deerit Populo, quo veniente, dies: quinimo Sol, ille rerum temporumq́; ſator, meliùs nitebit; idemq́; florum Apelles, vel media in hieme, ridentes purpurei veris delicias, floralia, & læta Tempe adornabit. Nimirum, optimis Principibus, dum, quatenùs fas eſt mortalibus, ſupra cæteros Celſitudine Stirpis & Virtutum, evectis; Divinam bonitatem in ſe exprimunt, illaq́; duntaxat parte, inferioribus ſe præeſſe arbitrantur, quâ maximè proſunt, multos ex miſeris faciendo felices; ipſa clariſſima mundi ſidera, labentem Cœlo, ducentia annum, clariore ætheris alti ſerenitate applaudunt; atq; almæ eorum fauſtitati, palam dextris aſpectibus præludunt; magîſq; approperant, quàm prænuntiant, bonorum venturorum certa indicia: vt feliciorum auſpices ſæculorum credantur, qui ſuis Imperijs, bene & feliciter inaugurantur. Sic inaugurari, multis in voto, aſt non niſi contingit ſpectatæ inter bonos moderationi; ſtátum

mun-

mundi, ſupra Lunam ſemper ſerenum, inter continuos rerum humanarum turbines, ac fragores, imitanti. Tantùm felicitatis de ſupernis favoribus, augurari non præſumat, præceps ambitio, juſtitiæ ordinem pervertere ſolita, atq; in tota mortalium ratione, magna recti honeſtiq; momenta ſternere; non aliter, quàm excuſſum nubibus fulmen, gaudens viam feciſſe ruinâ. Præfervidis illius conatibus, quamvis primò fortuna aſpirare videatur, tamen ad extremùm àmbitui non ſufficit, ex ſummis ad ima dejecturo, ſapientem aliàs Bellerophonta: quando, eximio omnium, quæ in excelſa ſorte eduntur, perfecto opere, non contentus; vltra juſti honoris metas, ambitione provehitur, & viam affectat Olympo.

Jntra acceptos ſideribus modeſtiæ fines, quæ optaverit quiſq; vt bene & feliciter eveniant; non alius certior veriorq; augur, quàm animus integer, æqui boniq; conſcius, vt ſecurus meriti, itá non ambiguus præmij, ſpemq; ſortemq; ſuam, ſupremæ Cœlorum Majeſtâti, quæ ſinè diſcrimine vllo, juſta decernit, ex aſſe reponens; ſtaturus eo, quidquid illa decreverit. Non

 alius

álius Vates melior, quàm passim vbiq; diffusus populorum plausus, arcano Numinum instinctu excitatus: quàm, ipsa solito lætior vsuq; rarior temporis vicissitudo. Tam prospera signa, si optantibus cœlitùs succurrunt; faustum bonumq; eventũ, jam vt aiunt, in fano adesse, non ambigãt. Non ambigimus nostram felicitatem, cum Tua bonitate venire ô PRÆSUL! quam tot ritè observata Auspicia renuntiant annuuntue. Nempe, ad sublimem Magni Nominis Tui famam, atq; desideratissimi Ingressûs, auspicatam festivitatem, exultantibus gaudijs, faustisq; precationibus, cuncta Regni Sarmatici, maximè tamen omnium florentissimum Poloniæ latus, Diœcesim Cracoviensem, non sine Cœlo, secundorum sponsore, personare; non tam præsagium, levi quandoq; coniecturâ excitatum est, quàm Divini Oraculi, manifesta fides. Regnatricis Aquilæ Majestas, indignata nuper præreptum hoc decus, ingentibus CELSITVDINIS TVÆ, debitum meritis; hodie dilato animorum triumpho, tantò gaudet ampliùs, quantò Cœlestibus cumulatiorèm ominibus intuetur. Miratur simul incomparabilem Mansvetudinem tuam,

quæ

quæ malit illius temporis oblivionem, quàm gloriam. Iuvat tamen propagatos Tibi exinde, vtinam in ævum, & vitæ, & honoris Celsissimi annos interpretari: nam decet longiora fieri, quæ differuntur. Quanquam Sponsæ Tuæ inter mille suspiria languenti, & à Tua vnius augusta præsentia, perennem vigorem præstolanti, Præsuleàm inter FASCIAM, Regum, non tantùm Antistitum verẽdos Vertices, coronare suetam, ac inter Tuum Gentilitium, gemmis, & auro dignum coronari CAPUT, quia Divinæ humanæq; Sapientiæ Sacrarium, nihil ampliùs intercessisse; tantùm duplex vmbra, & geminatus dolor, videtur. In Magni IVBILEI Anno, accumulari sibi Divinitùs Cœlestium gratiarum amplitudinem illa credit, quando Te bonum PASTOREM, singularem Cœlorum Indulgentiam, sortitur; ac velut Iuno sospita, Iovem sospitatorem amplectitur. Qui primum hunc incipientis sæculi autumnum, vberrimo maximæ lætitiæ fructu commendas, ac sequentium annorum fæcunditati inauguras. Licet decumanorum malorum fluctibus, cum exacto sæculo detumescentibus, ita certò meliora, tranquillioraq; sperare

rare, & augurari, vt Te convenit venerari, Supremos PRÆSVLEÆ Poteſtatis in hac Diœceſi Faſces, Sacræq; jura Cathedræ, BENE & FELICITER capeſſentem.

Breve hoc plauſuum Academicorum proëmium, ſed immenſi menſura voti: anguſtum vocibus, ſed ſenſu menteq; profundum; & tantæ amplitudinis in vaſta mundi compage ſpectatur, quantæ bonitas, & felicitas, Divinarum humanarumq; rerum tituli, apices & coronæ. Subit tamen animum nova cogitatio, ne vulgare appareat, quod ſæpè apparitor Academicus Sceptrifer enuntiando, promulgat Verùm erigit mentem, ſolenne Romanum AVE, matutinis àccommodum ſalutationibus. Jllud videlicet, Satyriæ aliti in publica celebritâte vſurpaſſe, AVE IMPERATOR AVGVSTE, non vile pretium fuit; quod nihilominus inter præcipua Imperatoriæ Dignationis Inſignia, Cõſularibus Mamertini Faſcibus, impertitur Iulianus Cæſar, AVE CONSVL AMPLISSIME. Commune equidem, & promiſcuũ cenſetur BENE & FELICITER ACADEMICVM, ſi ſpectes conſvetudinẽ; at Tuum MAGNE ANTISTES, proprium ac ſingulare, ſi

no-

noſtram pietatem. Quod âliàs mori tribuitur, hodie tam ſuaviſſimo Amoris imperio, à nobis exigitur; quàm blandam vim cogendi habent, acceptorum vel ſperatorum gaudia beneficiorum. Quemadmodum ergò, frequentiſſimus Divinis vatibus mos, grande ſuum epos, à Numine Deorum auſpicari, ſecundiſq; ſucceſſibus, ſupernos favores implorando, præſtruere; ita mihi, ſublime laudum Tuarum argumentum dicturo. à ſolenni formula, ſummam omnium votorum, quæ Divis nuncupantur, complectente; exordiri placuit. Nec iniuria; in Divinis enim virtutibus Tuis, quarum æterno ſplendore, Principalem Trabeati SANGVINIS Tui Fortunam, irradias, & eminens hoc PRÆSVLEÆ Celſitudinis Culmen auguſtius reddis, non aliud, quàm BENE & FELICITER contemplari meæ imbecillitati, perſuaſum habeo. Magnitudinem, quam metiri tenuitate eloquij, non opis eſt noſtræ; duobus veluti punctis ſignare., Te benedicente liceat. Vtrumq; quò ſinceriùs candidiùſq; Orbi exhibeam, PRÆSVLEVM ac PRINCIPALE, ex Te vivo Exemplari, OPTIME PONTIFEX, in

exemplum posteris imitandum, veris coloribus traducere non Apelles, nec Protogenes ego conabor. Specimen hoc Pietatis & Venerationis Academicæ, credo equidem, non seqvetur eadem felicitas, quæ olim Phidiæ signum, quod simul aspectum, & probatum est. Cæterùm sat bene feliciterq; cum Oràtore actum fuerit, si Tu CELSISSIME PRINCEPS, quàm Iudicij Prudentiæq; Summus, tam veniæ Indulgentiæq; promptissimus, rude adhuc, ac deformatum magnæ Virtutis Tuæ simulacrum, benigno lumine circumfusum, aspectabiliùs reddes: probabisq; in eo desiderari fingendi pingendiq; artificium, non simplicissimi affectûs candorem: quo magis Cœlestia Numina, quàm thure aut ingentis pretij gemmis picturisq; delectantur.

BENE iuvantibus Superis, ac futuram PRÆSVLUM PRINCIPVMq; Claritudinem, illis præcedentibus Signis, quæ sunt insignia Virtutis, constanti gressu, per ardua & confragosa, ad magnæ fortunæ cultum, vsumq; sublimium rerum contendentis: extrà omnis dubij aleam, feliciter succedet omne; quidquid in vita

magni-

magnificum, in honoribus excelsum: in rectè factis eximium: in rebus omnibus pulcherrimum: Divinorum ingeniorum oracula, non vulgaris opinio censuêre. Nihil certius ad solidæ prosperitatis securitatẽ, nihil securius, ad perpetuæ gloriæ inoffensum cursum, nihil gloriosius pulchriusué ad visendos celsioris fortunæ honores, quàm semper ad BENE supernum respicere; & ad illud tanquã ad verticale humanæ felicitâtis punctum, vitam moresq; componere. Circa nascentium mortalium sortem, fataq; futura, non est laborandum, fallaci plerumq; siderum interpretatione; & parum refert cognoscere, dum nituntur in lucem, qualis præniteat prosperus an infestus Planetarum, aut Signorum Cœlestium fulgor in ascendente? an Sol placidus nascenti affulserit? an Luna obscurum in noctem abdiderit caput? an ad bella Mars militem exceperit? an ex humili in sublime Iuppiter ferendum promiserit? Fatalia ista, longè à BENE & FELICITER exerrant, multorumq; vanitatem fatuitate deludunt; non aliter ac olim Lentuli ex Libris Sybillinis, Tertio sibi Cornelio post Cynnam & Syllam, Romæ fa-

tis Regnum portendi credentis. quod dum ruinâ Patriæ molitur, pro torque aureo, Regioq; monili, gulam laqueo frangi meruit. Nec ſatis BENE & FELICITER prodigioſa flamma, ad regalis Purpuræ fulgur, Servio Tullio obſcuris edito natalibus præluxit; quem infeliciùs veſana ſuperbi ſoceri ambitio, è vitæ Regniq; faſtigio, ad vmbrarum Dominos detruſit. Illuſtres natales, quamvis fortunæ pedes, quiſpiam appellavit; cæterùm vitrei, quibus tàm pronum frangi, quàm ſplendeſcere: omnia ſtatim adeſſe Principibus dum naſcuntur: opes, potentiam, honores, Imperia, præſtare fortuitò poſſunt; non tamen perpetuum BENE FELICITERq; ſpondere. Perpetuus Superum favor, eorum vitæ, fortunæ, gloriæ incrementis intendat iugiter oportet; vt gemina hæc parvi mundi ſidera, Principi Jndoli luceant ſemper, nunquam occidant. BENE illuſtrium factorum, continuum ſine vmbra diem accendat. FELICITER humanum, ita à BENE perenni, vt Cynthia à Sole lucem mutuans, adverſorum noctem ſerenet, vmbras diſpungat. Hîc ego, geminos illos immotos mundi vertices,

Arcti-

Arcticum & Antarcticũ, pulchra imagine sine Zeuxis penicillo expressos, speculor. Illum sublimem & conspicuum semper, mens bene conscia, perpetuò etiam inter asperos Septemtrionis rigores, attollit, gemina velut justitiæ ac prudentiæ Arcto subnixum. Hunc depressum imaginor, in magnanimo ac bene præparato pectore; quod à fortunæ, non ab invictæ mentis culmine deiectum, supra nubilum & infestum omne animo eminet: quantòq; magis inter Australes malignæ sortis procellas deprimitur, tantò animosiùs ad meridiem veræ felicitatis eluctatur: apud se constanter decernens; feliciorem fuisse Socratem in càrcere, quàm aliquem Tyrannorum in throno: Regulum in vinculis, quàm Antonium in Ægyptiæ pellicis delicijs: faustiorem Patriæ extitisse Camillum in exilio, quàm Manlium in servato à se Capitolio; quem affectati Regni crimen, an suspicio! de rupe Tarpeia deiecit. Tali ac tanto animo, illud sapientis Romani effatum, immensum gloriæ calcar addit: *Malo me in castris, quàm in delicijs fortuna habeat: torqueor sed fortiter, bene est.* Nempe nimia felicitas, quam vulgi deliria, à cæco volubilis

Deæ idolo expectant, virtutum ſcopulus & exitium, vitiorum portus & lenocinium, vt à BENE cæleſti non incipit, ita ad feliciter manſurum non pertingit. Magnifica verba & nomina, etiamſi bonarum rerum non inania, veram felicitatem, integramq; laudem, nullo titulo vendicant: quandoquidem laudanda magnæ virtutis opera inchoant, non determinant. Omnis probæ honeſtæq; perfectionis, laureati limites adverbia ſunt; imò vt è Divinæ ſcientiæ arcanis, ſacrum carmen perſonat,

Jn vitæ meritis præſtant adverbia verbis.

Juſtâ, fortia, & ſancta agere parum eſt, niſi per continuum eiuſmodi heroicorum actuum vſum & conſuetudinem, fortiter, iuſtè, ſanctèq; agere, Tuum proprium & & immutabile effeceris. His palmaribus veſtigijs enitendum, vt habitum recti honeſtiq; BENE & FELICITER vbiq; triumphantis, induas triumphalem. Laudabilia multa, etiam malos facere, in Tyberijs, Caligulis, Iulianis, & Annibale Pœno palam eſt: laudari niſi optimum non poſſe, Traianus optimus Principum, nobile argumentum dedit. Summos verò laudis gradus, pulcherrima omnium virtu-

tum adverbia moliuntur, vt in optimis gloriosè abſoluant. Quid igitur BENE, niſi omnium bonorum medulla, omnium rectè agendorum directio, omnium actionum ad normam virtutis, ſevero monitore Perſeverantiæ genio, continuatarum, comprehenſio: cuius apex genuina felicitas, ſtatum cunctorum bonorum aggregatione perfectum, FELICITER coronans. Sive morum ſcientiam, in qua Vir bonus diſcitur: ſive Civilem, in qua Civis bonus: conſulas; vnanime vtriuſq; reſponſum referes, bene agendi rationem, tanquam medium requiri, vt beata vita vtrobiq; contingat. Multa de hoc Græci præcipiant, partem priſtinæ felicitatis & libertatis etiam hodie retenturi, ſi illorum poſteri facto implerent, quod vetus Græcia, alma bonarum artium altrix & Parens, doctis præceptis ſanxerat; paremq; ſaltem ſi non majorem curam gererent benedicendi & bene vivendi, atq; ſalutariter bono publico conſulendi. Domini terrarum victoriſq; Gentium Populi, belli paciſq; exempla evoluant, qui Principale ac Præſuleum BENE & FELICITER, intimè noſſe præoptant. Comitia Centuriata, quibus Con-

ſules Tribunoſq; militares, auſpicato creare, vice legis erat; Curiata: quæ rem militarem continebant, quid aliud in ſuis auſpicijs fauſtiſq; precationibus intendebant, ſuſpirabant, exoptabant? quàm hæc duo fauſtorum ſucceſſuum, tutelaria munimenta, votorum mortalium compendia. Hæc propter, Pontifices, Augures, & apice Diali verendos Flamines, fataleſq; Sybillinos Libros ſæpius conſultos: inſtaurata Sacra, vel recèns inſtituta, renovata toties auſpicia, ſi non rite annuerent; novis Numinibus vota delubra, quatenus rem Romanam, novis auxilijs, BENE FELICITERq; ſecundarent. Hæc propter, omnium quæ à Dijs petuntur ſumma faſtigia rerum, Dij Deæq;, quibus imperium illud ſteterat, maioribus Hoſtijs culti, magnificis donarijs promiſſis, jnvocati: BENE verterent, BENE iuvarent, bonis avibus terrâ mariq; adeſſent; vt eorum ope, conſilio, præſidioq; cuncta domi militiæq; gerenda, Imperio Romano Nominiq; Latino, BENE & FELICITER evenirent. Nec mirum, ſi inibi ſummo conſilio omnia priùs acta, quàm agerentur; fortuna vt ſolet vel invita, vbiq; ſequeretur. Quæ inconſul-

tos impetus, licet primò vt audaces iuvet, mox vt temerarios, ipſa temeritas ſapientiæ inimica, deſtituit. Quid mirùm, ſi màiorem Africanum, ne dum veris Virtutibus, etiam Divinæ Stirpis admirabilem opinione, glorioſiorem ſui, quàm Annibalis victorem, omnia audaciſſimè incipientem, nuſquam fortuna fefellit; cui BENE FELICITERq; Principale, Stator Urbis æternè Iuppiter indulſit. In cuius æde, poſtquam Virilem togam ſumpſerat, aſſiduus, ab ore conſultiſq; ſecretis Tonantis pendens, Divinior & ſapientior redibat. Hunc vnum omnium Imperatorum, Sanctum, fortem, felicem, invictum, & Dijs ſimillimum, Princeps mundi populus ſuſpexit: gratulatus cum Maximo funebri eius laudatore, eum apud ſe potiſſimùm natum. neceſſe enim erat ibi terrarum Imperium eſſe, vbi ille eſſet. Numquid etiam placiturum Numinibus, & Vrbi imperaturæ, grande in adverſis aſperiſq; momentum futurum, BENE & FELICITER Præſuleum, Dea Ægeria non ſuaſit inſtituendum Romanæ conditori religionis Pompilio? Equidem maximè: ipſum quippe præcipua ſacra curare iuſſit,

& Pontificem inſtituere, qui omnibus publicis privatiſq; ſacris, ſummo iure intenderet, caveretq; nequid adverſi, propter neglectum ſacrorum cultum, Reſpublica pateretur. Hoc munere BENE FELICITERq; functus Fabius Pontifex, inter media hoſtium Senonum tela, religionis auxilio incolumis, in Monte Quirinali Sacrum ſolenne conficiet, Deoſq; propitios renuntiabit. Hac ſacra trabeâ conſpicuus, corculum Patriæ Naſica, ſeditioſos Grachos tollet; ſolus iudicio Senatus Vir Optimus appellatus. Matrem Deûm Idæam, fauſtum ac glorioſum ſecundi belli Punici exitum daturam, triumphali apparatu in ædem victoriæ, ex oraculo Apollinis, conducet. Intererat magnitudinis Romanæ, vt imperium armis partum, juſtitiâ ac religione tueretur. Sanè illam religionem, monſtroſæ ſuperſtitionis arcem, & errorum ſummitatem recogitans; mirari nequeo, immenſam ſupremi veriq; Numinis Indulgentiam! quomodo ſub tantæ falſitatis velamine, milleq; Deorum portentis illam Gentem, gentibus omnibus imperare, cuncta adverſantia triumphare, ſiverit; daturus ei Regnum decoris, &

Dia-

Diadema gloriæ; quo, latiùs regnaret religione Divina, quàm antè dominatione humana: esſetq; caput Orthodoxæ Fidei, quæ erat apex ſuperſtitionis.

Hactenus è potioribus Romanæ vetuſtatis imaginibus, BENE ac FELICITER PRÆSVLEVM & Principale rudis artifex, pauca ſub lineamenta coëgi: gratiùs rubere arbitratus, Principalem ac Præſuleum Muricem Catholicæ Majeſtati congruentem, ex Ethnicis Heroicarum Virtutum rubis; prout purpura veris, & corona anni, cunctorum ſpecioſior florum Roſa, ex horrido ſpinarum trunco, pulchriùs enaſcitur. Nunc jam Te PRINCIPEM in Nativis Tuis ſplendoribus tueri, vtroq; titulo PPÆSVLIS & Pontificis BENE & FELICITER eminentem, inter præcipua meæ felicitatis pono PONTIFEX OPTIME, qui cognatam cælitibus Principalem bonitatem Tuam, ſingulari pietate colo. BENE vertat: pandamus inclyta Auguſtæ Originis penetralia: pateat magni cortina theatri. Non vulgari auſpicio exoritur lux, totum Europeum Orbem, occiduaſq; oras, perennibus heroicorum decorum illuſtratura

fulgoribus: juxta atq; Sol Oriens, ſubito lucis immenſæ motu, cuncta terrarum ſerenat. Eximijs Heroum initijs fata infeſta intercedunt, vt auguſtiora reddant. Funeſtum ſpectaculum! immane ſævumq; Regis Hiſpaniarum Victoris, in Reginam Arragonum Veronam victam, facinus! verius portentum ſcelerum! animus meminiſſe horret. *Lugendam Heſiones & Andromedæ mortis vicem, crudeli ſuperbi triũphatoris imperio, ſubire cogitur, frendentibus ſpumantis Apri expoſita dentibus, niſi novum Herculem novumq; Perſeum, protinus Cœli provident, crimen inauditum peragitur! Niſi invictum in hac Amazone Bellatrice animum ſexumq; Bellona vindicat, nullum inconſilio Deorum Numen habet: niſi indignam etiam Rege barbaro feritatem vlciſcitur; fruſtra Gradivi conſortem jactat, tantam immanitatem, horridus licet ſit, abhorrentis. Suum honorem maximo in diſcrimine verti, bellorum arbitra, Victis Victoribuſq; alternante ſorte communis, Jovem Vindicem, eundemq́; ſervatorem imitata, ſedit in Martiali fortiſſimi DENHOFFIJ Pectore, maculoſum vltura nefas.

* *Nolimberg in Symbolis Portugaliæ & Arragoniæ Regum.*

Ma-

Mâgnanime Heroum quiſquiſ es, Nomen Decuſq́; Regium Succeſſoribus Tuis dature; ſi è veſtigio caput furentis belluæ ſuſtuleris, Reginam ingruenti fato eripueris, æviternæ gloriæ, in Tuæ Heroicæ Fortitudinis erecto CAPITOLIO, triumphum habebis. Quanti conſtet ſervata ſalus, Regniq; poteſtas! ſciet melius æſtimare mulier Verona, quam ille alieni ſanguinis imperijq; ſitiens Tyrannus. Reginam naſci, Regnumq́; habere, ad levem caſum ſortemq; pertinere; aſt Regnum dare vel reſtituere, hoc Divinæ Virtutis opus, dignum Te Rege Conſorte, illa recenſuit; ſi Tua inſuper Dextrâ, gratiſſima Iovi victima ceciderit REX iniqvus. Doceat tandem fera crudelitas, juſto plexa ſupplicio, non decere bonos juſtoſq́; Principes, cruenta ſiti alienam appetere ſortem, per ſtrages, & ruinam Gentium, diteſcere: tanquam via lactea, non pateat magnis Heroum Manibus, niſi cruore perfuſi rubeant, qui BENE FELICITERq́; Humano Generi præeſſe Cælitus iubentur. Sciat Princeps DEI ſe vice in terris fungi, quem maximè omnium clementia commendat: Sciat Regium eſſe miſeris indul-

genter ſuccurrere, non humanum ſanguinem, per quiduis nefandum prodigere; & quam dare non poteſt, vitam cupidine gloriæ, aut imperandi eripere Cogitet gratiorem eſſe mundi ſtatum dum ſudum ſerenumq; Cœlum eſt, quàm cum fulminibus, nimbis & murmure nubium omnia percelluntur. Pulhrum eſt exemplo cæli magnifica negotia pacis præferre furentis Gradivi ſævitiæ; meliùſq; placidum ac ſerenum coli & amari; quàm metui fulminantem.

BENE habet: jam Sacra & Penetrales Deos regiæ ſtirpis Tuæ CELSISSIME PRÆSUL & PRINCEPS patuiſſe nobis, ingenti efferimur gaudio, & viciniùs cœlo incedimus. Lætitiæ hic impetus eſt claro invſitatæ Virtutis ſpecimine excitatæ; non ambitionis aut vanitatis æſtrum, quod Icareas mentes corripit; vt infirmis nimiùm petant ſublimia pennis. Juvat nempe ſublimi vertice, ſydera contingere, legendo vel memorando factum Divinæ potentiæ proximum; quo BENE & FELICITER Principale; ita implevit Arragoniæ Regum pretioſiſſimus vnio DENHOFFIUS; vt hereditario quodam iure,

idem

idem decus, & magnitudinē animi æmulentur, & ingentibus auſis in ſe exprimant, quicunq; eodem Numine genereq; cenſentur. Ea eſt alti & excelſi Sanguinis fèlicitas, vt omnium ſit gloria, quæ fuit vnius ſingularis. Regnorum certa ſalus, proſpero Numine ſata terrarum gloria, ingentes heroum animæ, non aliàs veriùs puram integramq; ſortiuntur laudem: quàm ſi in agendo & patiendo fortia, ex natura Dei ſe gerant, in Toga & Sago; earum affines rerum, quæ factis fortibus addunt decus, non demunt. Illa eſt ſecura ad immortalitatem nominis, & palmaris fortium virorum via, hæc ſola digna Heroe animo victoria, palmaq; nobilis; pravas animi cupiditates, quæ inmoderatis & in continentibus Dei inſtar ſunt; potiore animi imperio in melius flectere: blandas animorum peſtes, circumfuſas voluptates, à quibus plus periculi eſt, honori ſalutiq; Heroum quàm ab hoſtibus armatis; temperantiâ frenare: nec ſinere, multa bona vno vitio deformare, & tot meritorum gratiam majore culpa, quàm cauſa culpæ fuerit; corrumpere. Immo non aliud Dijs ſimilius, & à cæteris mortalium longè

 diver-

diversum negotium defensores salutis publicæ manus efficere posse, censuerim; quàm labentem publicam fortunam sustinendo, sævitiam fatorum etiam propriæ vitæ victimâ, vindicando: se in libertatem & integritatem, magnæ juxta ac bonæ famæ, optimis progressibus asserere: nec magis ab hostibus quàm à vitijs, securam tutamq; Remp: præstare. Hoc ingentium animarum, rarum & nobile præconium: tàm proprium Magnorum DENHOFFIORVM est; quàm cœlum fulmenq; Tonantis, post sævorum bella Gigantum. Angusti pectoris anhelantia vota, & gracilis pennæ volucrem cursum, non mitto in amplissima gloriæ illorum, nullis vnquam humanis contaminatæ erroribus theatra, Italiam, Aragoniam, Britanniam, Curlandiam, Austriam, Franconiam, Livoniam, Castiliam, altissimas Orbis Europæi occiduiq; scænas; vbi Heroes DENHOFFII stupendis laudandisq; operibus visendi, semper Roscij, plausum, & celsissimorum honorum fulgores, mereri maluerunt, quàm optare: Illustrioribus heroicarum Virtutum experimentis superando invidiam præstantius duxerunt

vbiq;

vbiq; defendere & ornare regna magnaq; imperia; quàm habere.

Nec mihi consilium est, Polonicos evoluere annales; in quibus, non intermissa vnquam laudandæ æmulationis serie, à SIGISMVNDO AVGVSTO Primo Rege Poloniarum, leguntur, summis semper admoti rebus, summis conspecti in honoribus; quos ita magna & præclara audendo & agendo præcesserunt: vt redditos potius invictæ magnánimitati suæ, quàm præstitos accepisse viderentur Magnanimi DENHOFFII, difficilimorum in Repub: temporum moderatores, sospitantes publicam spem, vbi labascere timemebatur. Nec constitui mecum, antiqua & vetera CELSISSIMÆ GENTIS in hanc Rempublicam merita, infaustas Regno extremi periculi conversiones, in comparabili prudentia, felicitate, imperterrito animi consilijq; candore, in optatæ, non autem in tantorum malorum minis speratæ prosperitatis, faustam vicissitudinem commutatas: feralibus bellis decretos triumphos, & memoranda trophæa: expedita æquè splendidissimè ac felicissimè magnarum Legationum munera, recen-

ſere. Ita enim vel innumerâ exemplorum, laudatæ vetuſtatis miracula æquantium copiâ, promptum paratumq; eſt obrui: vel in ſereniſſimo clariſſimorum operum meridie, matutinam laudationis importunæ vmbram meditari, ridiculum. Quidquid olim Roma magnificum, ſalutare, & ſplendidiſſimum; in diverſis Principum Familiarũ Heroibus amavit, laudavit, & juſtis vſq; ad æthera extulit honoribus: hæc omnia in vna CELSISSIMA DENHOFFIORUM PROSAPIA, Sereniſſimum & Inviĉtiſſimum Poloniæ Regnũ, BENE & FELICITER experitur. Ceditne Papyris aut Valerio, illo corporis robore! illo animi! OTTO DENHOFF, PALATINVS PARNAVIENSIS, Livonicus Triumphator? HENRICVS DENHOFF, concedit palmam miltaris adoreæ Camillo? rebellantis domitor Livoniæ? ſuperantne Decij, fortiſſimum Chiliarcham HERMANNVM DENHOFF, Polonici exercitûs multoties ſervatorem, ad Cecoram & VLADISLAUM DENHOFF, PALATINVM POMERANIÆ, devotis corporibus contra hoſtes Fidei Orthodoxæ ruentes, & fortiſſimis ſuis Manibus,

fuſo

fuſo barbarorum ſanguine parentantes. Hic, ad Viennam glorioſiſſimi omnium ex Turcis triumphi, Invictiſſimo IOANNI III, grande adiumentum cum extitiſſet; ad immortalitatis Capitolium, obitu Heroico, nobile triumphi, prætulit ferculum: ille Tanti Regis triumphali Avo, tot ſæculorum, quot bellorum laureato exitu terminatorum, digniſſimo STANISLAO ZOŁKIEVIO, Supremo Exercituũ Duci & Regni Cancellario, dulcis & decoræ pro Patria, inter arma mortis dedit ſe ſocium; qui tanti Bellatoris, omnium conſors erat, & periculorum & Victoriarum. Ceduntne Corculis, illâ prudentiâ? illâ ſapientiâ? illo igneo in fulminandis hoſtibus vigore? Tres THEODORI DENHOFFII, duo Vendenſes, Tertius MARIÆBVRGENSIS, PALATINI? ERNESTVM, PALATINUM PARNAVIENSEM, & Svetici Leonis ſpiritus contundentem, & Giganteos Turcarum auſus, primo Chotimico Bello, Punicoſq; aſtus, exoticarum Legionum fortem prudentemq; Ductorẽ, dexterrimo ac fauſto præliandi ſucceſſu, comprimentem compeſcentemq;, Marcello æquare non con-

 gruit

gruit? Extra fines imperij nobiles demetere palmas, & ferales hostibus implantare cupressos, numquid C. P. Scipionũ gloria, tantùm erit? & non eadem decorabit CHRISTOPHORVM DENHOFF, CASTELLANVM VITEPSENSEM extra Mare Balticum, tumentes fluctus Sveticos coërcentem; & HENRICVM M. D. Lithvaniæ SVBDAPIFERVM, militiæ Electoralis Brandeburgicæ Generalem; Poloni Nominis amplitudinem, armis & victorijs, longè latèq; producentes. Q: Metellum Macedonicum, optabilium rerum læto proventu Romæ celeberrimum, an non Superat JLLVSTRISSIMVS THEODORVS DENHOFF, Maximus Regni Succamerarius, faustis Regum favoribus, magnis filiorum honoribus & Illustrissimarum Filiarũ altis Connubijs, Splendidissimus; & inter rara humanæ felicitatis exempla numerandus. Scipionem Aemilianum Numantinum, an non præstitit Poloniæ & inclytæ Familiæ Magnus GERARDVS Pomeraniæ Palatinus? Tam triumphalia militiæ ornamenta, Bellator, quàm Civilium artium insignia monimenta Senator, adeò in excelso locaverat; vt primi

con-

Connubialis voti fortunâm, victoriosæ Illustrissimorum OPALINIORVM Argo, aureo Polonæ Libertatis, & perpetuæ dignitatis vellere, onustæ, committens; gemmam invenerit, omni humano pretio majorem. Fatorum invidia, quando gemmeum hoc Monile eripit, secunda vota cumularũt, præmissos gaudijs majoribus dolores. Nam Serenissimos, Regum, Archiducum, Ducum, Electorum, Principum, in Europa, & hoc Regno Maximorum, splendores; cum Sybilla GEORGIJ DVCIS BRVGENSIS FILIA, Piastei Sanguinis, vna & pretiosissima MARGARETA Celsissimis Domûs suæ Nitoribus, coniunxit. Quorsum Polonis radiantia fastis Nomina vmbris involuo! dum evoluere conor vmbratilis laudator, quæ in Tuis Heroicis facinoribus, redivivo jubare illustrius micant, lucemq; Phæbeâ majorem à Tua non tam Senatoria, quàm ingentis animi purpura, mutuatã; vsq; ad sidera eiaculantur ILLVSTRISSIME DOMINE CASTELLANE SIRADIENSIS: qui sæculũ præsens, cum CELSISSIMO GERMANO PRÆSULE & PRINCIPE cumulatâ Claritudine, BENE & FELICITER

 TER

TER exornas. Vos quoq;, exuberante laudum materia celebrare iuvabit ILLVSTRISSIMI DD. Comites à Denhoff GVBERNATOR Vrzedovienſis, VENATOR, & INCISOR M. D. Lithvaniæ: Voſq; lucida velut Ledæ Sidera, ANDREA & THEODORE S. R IMPERII PRINCIPES, CAPITANEIDÆ VISLICIENSES, ILLVSTRISSIMA HEROIDE POTOCIA geniti, Genus ambo, & ſpes magna Heròum. Nempè, vos omnes, non tantùm Majorum veſtrorum decora, præclarè augere contenditis; ſed etiam priſtinos illos ſpiritus, acerrimos Libertatis Polonæ Vindices, & Sereniſſimarum Maieſtatum munimina fidiſſima, circumfertis: magnis in Regno honoribus brevi addituri claritudinem; vnde alij inclareſcunt. Hoc demum eſt, immenſo laudum Heroicarum amore incenſos DENHOFFIOS, contingere ſolium Iovis: vt memores, Avitæ prærogativæ, in quam producti ſunt: Regium ac Principale Faſtigiū, cenſeant: pereuntibus BENE FELICITERq; ſuccurrere, fata irruentia ſiſtere, nec tantùm avertere mala; etiam beneficiorum gratias cumulare.

Non-

Nondum triumphalium AVORVM TVORVM PATERNI MATERNIq; excelſum gloriæ culmen ſublimius Olympo, celebratamq; per Orbem vtriuſq; Nominis & geſtorum magnitudinem attigi; & jam ipſa cogitatione Tantorum PRINCIPVM percellor. Quæ enim felicioris ingenij excellentia? quæ vberioris eloquij magnificentia Illuſtriſſimum olim GASPARVM DENHOFF PALATINVM SIRADIÆ Sereniſſimorum SIGISMVNDI III VLADISLAI IV Poloniæ Regum delitium, tam ſplendido Magnificoq; paratu tantaq; dignitate Orbi videndum exprimet? qualem quantumq; ſuprema Orbis terrarum Vaticana poteſtas URBANUS VIII Pontifex Maximus & FERDINANDVS III Imperator Romanorum, Regium Legatum ſuſpexerunt: tanti æſtimatum, vt S. R. I. PRINCEPS rediret; qui Principali cultu Regum negotia tractaret, & regiè enuntiaret. Tanto Heroi, Divis auſpicibus & Junone ſecunda nubet lectiſſima Heroidum, Supremi illius Exercituum Regni Ductoris Caſtellani Cracovienſis STANISLAI KONIECPOLSKI, quem, in vnicum

bellicæ Virtutis & Imperatoriæ gloriæ, documentũ fortuna Regni Sarmatici dedisse & fatorũ vicissitudines exercuisse creduntur, FILIA: Magni LVBOMIRSCIJ STANISLAI Palatini Cracoviensis insigni armatæ & togatæ prudentiæ authoramento vsq; nunc clarissimi, ex Sorore Neptis: genitura filios clarissimam gratiarum sobolem, Poloniæ faustam ac salutarẽ STANISLAVM, SIGISMVNDVM, ALEXANDRVM. Gloriosa militiæ stipendia, & Avitæ propriæq; illustres manubiæ, STANISLAVM Præfectum Vielunensem, Patruum Tuum CELSISSIME PRINCEPS, prælucentibus tædis genialibus; in Augusta DVCVM RADIVILIORVM penetralia, vetustis tot Serenitatum Titulis adoranda, BENE FELICITERq; conducent. ALEXANDER Militares adoreas & bellicum cinctum pacatis commutabit Infulis; sacratiore apice bellicas majorum laudes sideribus asserturus. Tuum vero felix & beneficum Poloniæ periclitanti Numen (sic enim compellare decet Heroem, compar superis beneficium præstantem) quo Heliconio nectare propitiabit Academica vene-

ratio

ratio! Magnæ ſpes fauſta Sarmatiæ, Divis orte Bonis ILLVSTRISSIME DENHOFF SIGISMVNDE S.R.I PRINCEPS, Sokalienſis, Boleslavienſis, GVBERNATOR: in Quem capàcem & ſuſfecturum, Invictiſſimus Poloniarum Atlas IOANNES CASIMIRVS, partem inclinati orbis & ſuſpenſarum pondera rerum reclinat. Tibi prorſus tàm grande nomen à Thracia Cherroneſo Mæotideq; Barbara, quàm olim Majori Affricano de Affrica, fata decernunt. *Tantùm valuit ſervilium armorum dedecus! ſparthaco Chmielnicio Duce excitatum, multiſq; horribile cladibus! aſt tantùm prævaluit Heroica pietas priſcaq; fides! publico conſecràta bono in DENHOFFIO dum (prout in proverbio eſt) à Syro reditur ad Cilicem ſcytharum Hanum, pacis conciliatorem, inter rebellem ſervum, & juſtum Dominum. Credo equidem nec vana fides, Tutelarem D. IAGIELONIS Genium, qui Athenas Lechicas, ſuas non Cecropias bonarum artium arces, præſens ſemper ſoſpitat & ſalvere jubet: hunc Tibi in tam arctis Poloniarum rebus Divinum

Obſidem ſe pro Patria vltro Regi obtulit ad Tattarorum Hanum. Veſp: Koch: Annal: Pol: Clim: 1. l. 2.

ſpiri-

ſpiritum ac ſingularem ânimum ſuggeſſiſſe; vt inauditum ab orbe condito, nulliq; mortalium etiam ſanguine Divum ſe natos ferentium, intentatum, amore Patriæ omnium affectuũ triumphatore, auderes dulce & decorum facinus: præteritorum & futurorum ſæculorum prodigium. Prævertiſti videlicet incredibili pietate, ſingulares Cælituum favores, qui ex vmbra proceſſurus in publicum Solem, rarum & inuſitatum gratæ mentis ſpecimen, ſpectante Jlluſtriſſimo Domino Parente altricibus Camenis Academicis, luculenta Oratione teſtari, & in perennem raræ gratitudinis teſſeram conſignare volueris. Nunquam tantorum ſpartha genitrix Heroum exſtitit: quamvis ante pugnam Muſis Sacra facere ſolenni in more poſitum habuit, vt ſe in periculis offerrent, & bonum ſucceſſum ad res memorabiles edendas darent pugnantibus. Decantata illa Romanæ fortitudinis miracula, Horatiùs, Scævola, Clælia: & exitiabilem Quiritibus voraginem, ſtrenuo inſultu clavdens Curtius, Paradigmata ſint; ſi Tuum hunc incomparabilem Heroicum actum, pro vero miraculo, grata poſteri-

tas, & fama perennis, debitis laudibus in cælum non feret! BENE & FELICITER Principale in Vno, omnium sæculorum memoriam, in sui admirationem & æstimationem provocante, ILLVSTRISSIMI PARENTIS TVI Opere CELSISSIME PRINCEPS, admiratus; centum alias Virtutum Principalium species, tanquam sidera, proprium noscentia prodentiaq; Solem, satis digno summæ Dignitatis encomio, quia silentio colo. Quod tandem Cæleste genus Orationis, æquabit Cœlo, (quò immortalis famæ Celsitudine dum viveret spiraretq; illatus videbatur;) Illustrissimum, & Excellentissimum GEORGIUM, Ducem in Ossolin, Comitem in Tęczyn, Supremum Regni Cancellarium, AVVM Tuum Maternum; majorem sæculo, cui perenne decus præstabat; superiorem ingenijs, magna illi encomia sollicito molimine, è sententia Apollinis & Musarum, conantibus. Non illi itura per posteros, stupendorum operum gloria, non summum in Republica honoris fastigium, tantùm Nominis circumdederunt, quantùm flexamina illa, nec vmbratilis, aut pigmentorum lenocinio fracta;

ſed virilis, ſed Regia, qualem Pylij ſenis, ore fluxiſſe melleã Homerus credidit, aut inſtar procellæ, orante Itacho, profuſam. Cùm Polonam Majeſtatem, ad Summum PONTIFICEM, ad Europæ Principes, ORATOR circumtuliſſet; admirabilis ſuæ Prudentiæ, Facundiæ, Splendoris, Magnificentiæ, non alium laudatorem habuit, quàm publicũ Vrbis & Orbis ſtuporem. Digna tanto Principe Patre Filia, imò è tanti Iovis auguſto vertice Gentilitiæ miniſterio Aſciæ nata Pallas, Illuſtriſſima, & Excellentiſſima PARENS Tua ANNA TERESSIA: Maternis THEOPHILÆ DANIELOVICIÆ AVIÆ Tuæ, Conſanguinitatis inſignibus, Sereniſſimum olim JOANNEM III. Regem, & quidquid ex Tanto Principe in Sceptris, Jmperijs, Principalibus, Ducalibuſq; Mitris, vſquam fulgurat; Tibi conſanguineum fecit. Ex tantorum vaſto viſcere luminum, lux Tua proceſſit! quæ hodie Caput Orbis Poloni, inſignium Regalium ſedem Cracoviam coronat. Ex collecto in vnum Nativorum Cognatorumq; Splendorum ſereno, velut ab alto æthere, tantâ immenſæ lucis copiâ irradiatum, BENE & FE-

LICI-

LICITER Principale Tuum, per omnem Reipublicæ faciem coruſcat; vt ab eius ſplendore, ſicut Aquilæ à Sole, omnis ſpecioſiſſimi boni indicia ac experimenta ſumat omne; quidquid generoſum, vel gignit natura excelſior: vel informat induſtria cautior: vel extollit ſors naſcendi felicior; vel conſecrat virtus Divinior. Ita clariſſimis Principalium decorum Te ſignante viam Flammis, CELSISSIME PRINCEPS, ſuccedit in ſublimē OSSOLINIANÆ gloriæ hæreditatem Illuſtriſſimus Dominus MAXIMILIANVS OSSOLINSKI, VEXILLIFER Terræ Drohicenſis; non vana Avitorum titulorum iactatione; verùm illo Entheo ingentis animi vigore, illa pollente ingenij eloquijq; felicitate, cæleſti conſulendi agendiq; dexteritate, ràro eximiæ formæ decore, excelſam indolem commendante; ſeriâ deniq; magnarum rerum, maximis in Republica Viris congruentium, meditatione. Summa omnia, cùm in illo ſuſpiciant omnes boni probentq;, ipſe prudenti moderatione, ingenitæ dignitatis excellentiam ita temperat; vt nihil in illo præter bonam mentem bonamq; famâm emineat. Augu-

ſto, Sereniſſimi Regis AUGUSTI II judicio & amore, magnis deſtinatur Curulibus: cæterùm iſta virtutis præmia, priùs meruiſſe gaudet, ne ſubito creviſſe putetur.

Iam quæ qualiſve bonitas & felicitas, bono publico natos Principes Viros deceat, quantùm vmbratili ingenio licuit, clarum fecimus genuina veritate, à Tuo Principali murice nonnunquam in nativos aut affines deflectente fulgores; CELSISSIME PRINCEPS: nunc jam enitendum eſt, vt BENE & FELICITER PRÆSVLEVM, compendio abſolvam, quod in Tua Celſitudine tàm longè lateq; refulget, quàm lux diei. Clarum illi Mane accendit, in LVCENSIS Infulæ Purpura, Gentilis Tuus ANSELMVS, Summæ Lucis, ſine minimo vmbrarum confinio, trabeatam augem impoſiturus in Sede Vaticana, Dei Providentiâ ALEXANDER II, idem mortalium & Pontificũ Maximus. Hic exemplo ſuo, æterna cæli munera ita augurari humanum genus edocuit, vt cæleſtium fons inexhauſtus ignium Phœbus, Sereniſſimus moderator luminum cæterorum, quotidiano ortu, ex aurora meridiem conijcere, prudentûm experientiam docet. Regalibus cæptum

auſpi-

auſpicijs BENE & FELICITER Principale, jure quidem ſanguinis & generis Tibi cum eo commune; ſed PRÆSVLEVM ſingulari tantùm privilegio, in Te Tuiq; ſimillimos transfuſum. Conſecravit hoc ſacratiſſima illa gratiarum & coronarum cæleſtium Diſpenſatrix Trabea: atq; adoratum Regibus gentibuſq; ſummi in Orbe Chriſtiano capitis trinum Sacroſanctum Diadema adeò vendicavit; vt nulli jam in terris capiti eveniat, BENE & FELICITER PRÆSVLEVM, nullius tempora ambiat, niſi quod ſibi cæli ſelectiſſimum depoſcunt. Summæ iſti ſpei parabatur, niſi citiùs conſilio Divorum placuiſſet ALEXANDER DENHOFF, PATRVVS TVVS S.R.I. PRINCEPS Abbatiæ Andreovienſis Adminiſtrator. Iam illum ſplendidiſſima ad FERDINANDVM III à IOANNE CASIMIRO Poloniarum Rege Legatio, & Sacros ANTISTITVM Lituos, & Eminentiſſimas in Eccleſia DEI Trabeas, applaudente humani generis conſcientia, ſperare jubebat: aſt æternus omnium virtutum Pontificalium ſplendor, gloriæ æternæ coronam capeſſere, æterni vigore decreti mandavit

 poti-

potiùs, quàm inter mortales ſupremam expectare dignitatem: æviterna claritudine, non vulgari titulo Magnum & Maximo proximum ALEXANDRVM. In hanc Eccleſiaſtici culminis ſortem, venerat vocatus à DEO tanquàm Aaron IOANNES CASIMIRVS DENHOFF, S.R.E. CARDINALIS. Si nomina ſpectes, DD: Patronorũ vtroq; non vano innixus, homine Major, Angelis propior: Candida caſtæ mentis niveiq; pectoris Lilia inter nives Sarmaticas enata, Clementi Auſoniæ cœlo invidenda, non tantùm optanda præbuit. Si honores expenderis; quos decorè geſſit, nulla ambitione quæſitos; terſiſſimum honoratæ & honorandæ virtutis ſpeculum invenies. INNOCENTIO XI. Pontificalis innocentiæ adamanti ſine vmbra; hic viſus, cardo rei Chriſtianæ, adamantinus, dignus Cæſenatenſis Cathedræ Infulâ, ſine vlla vitæ morumq; cenſurâ Antiſtes. CLARÆ TVMBÆ ABBAS, clarior poſt fata in Tumba futurus; claritatem eius, à ruinarum vmbris, à gula temporis, triſtiq; vetuſtatis ſitu, aureis cæleſtis munificentiæ fulgoribus, vindicavit. Multis præterea beneficijs Aſcete-

rium

rium cumulans; toto vitæ integerrimæ tractu, perfectissimum Ascetam, sine voto & Claustro, mundo exhibuit. Quantum in magna fortuna miraculum! Ita cælis excelsior factus, vota humana delusit, quibus illi summa potestas in Vrbe optabatur. Habes BENE & FELICITER PRÆSULEVM ternis Domesticis maximi momenti exemplis perfectissimum, & vsq; ad sidera notum, CELSISSIME PRÆSUL; sed in Te vno, hoc Trinum, orbis hyperboreus suspicit & veneratur omnibus numeris absolutum. Qui post Camenecensem & Premysliensem, longè angustiora Tuorum amplitudine meritorum pretia, Tiaras bonis faustisq; eventibus coronatas; qvum Cracoviensem Ducali Mitra Gladioq; pollentem, felicibus auspicijs prehendis; communi famæ Cracoviam alteram in Polonia Romam, per ora auresq; hominum ferenti, fidem tribues: in Tui indulgentissimi Capitis Sapientia, amore, beneficentia, & vigilantia Pastorali Capitolium nullis vincendum adversis exhibendo. Certiùs hoc, evigilans in gentilitijs Vrbis istius portis Aquila prædicere gestit; quàm in culmine quondam

Capitolij conſidens, Domitiano Imperante fertur Romanis prædixiſſe cornix: BENE HABEBVNT OMNIA.

Non ex bonis avibus læta tantæ felicitatis auguria capimus, omni augure augurioq; potior nobis ſponſor, meliorum poſt acerba temporum, non ſecus ac bonorum auctor arbiterq; operum, Tuus Animus Divini humaniq; iuris aſſertor Sanctiſſimus. In cuius ſacro ac Præſuleo tribunali præſident Cancellariæ virtutes, pudor, pietas, ſanctitas, fides, & ſapientia, prudentiaq; Regũ fato maior: quæ Regnorum Maieſtatem ſtabiliunt, conſervant felicitatem, cuſtodiunt libertatem: falli & fallere nequeunt ob reverentiam cæleſtium, quæ curis Præſuleis incumbunt. Tales Augures & Haruſpices, in adytis Collegiiſq; Pontificum debent foveri, præſenteſq; adeſſe: quos Deus eo fine elegit, vt bona & felicia populis nuntiarent, nuntiandoq; præſtarent. Inter ipſa auguſtiora conſecrationis Pontificalis ſolennia, hoc illis intimat, Apoſtolici muneris, pulchrum ſed difficile, ſublime ſed operoſum negotium, ritus Sacrorum ex integro purus & ſplendidus, Sacrum Evangelij volumen,

verti-

ria fuêre. Tu verior Apollo, cuius Divinis Oraculis reſponſisq; coram, tremunt fatidicæ Lauri, Delphicæ Cortinæ, aurei tripodes ſilent, trepidant, cùm in Tuo pleno ingenij pectore, regnans copiosè loquendi Sapientia, ora cæleſtia pandit. Tibi adhuc juveni, ultro ardua templa Muſarum pateſcere, arcana reſerari, & quodam-modo ut dignareris ſubire venerandus hoſpes, invitare videbantur; ſiquidem Tu igneo volucriq; ingenio, ea cuncta perciperes & conſummares, quæ alijs diu & ſeriò percipiuntur diſcunturq;. Nulla Tibi unquam nova & inopina Studiorum facies occurrit, quam non ante animo peregeris perfecèrisq;, unâ flores & fructus ſcientiarum rara ubertate fundebas. Caſtoris & Pollucis locô, duo tutellaria Numina, D. GEORGIVS & ALBERTVS, fauſtis cunabulis Tui affulſerunt; Nominibus proprijs ſignántes, in ſpem & opem publicæ proſperitatis, quam hodie tecum advenientem veneramur. Illi Gemini ſerenitatis Indices, & tempeſtatum moderatores antiquitus crediti, quàm clara imagine veritati proluſerunt: quando è ſcopulis ſæculi, in tranquillum Regalis Sacerdotij

feliciter enatanti, APOSTOLORVM PRINCIPES, reſerant Sancta Sanctorum Magno Sacerdoti: muniuntq; bonorum proceſſuum viam Regiam, Cruce PETRVS benedictionis; PAVLVS, protectionis Enſe; ut Tu in Eccleſia Dei immenſæ ſcandas culmen gloriæ. Iam Tuum Caput gemmeum, Auguſtæ Illuſtriſſimi Capituli Cracovienſis coronæ ambiunt; jam Abbatiales Vittovienſes circumponuntur INFVLÆ: jam cæteri Eccleſiaſtici Magiſtratus, à Te expoſcunt ornari. Pronum Tibi erat, cognatis OLSZOVIANIS FALCIBVS nobiles Honorum metere, & in Tuum decus colligere palmas: annuente Magno ANDREA OLSZOVIO, Archiepiſcoporum Gneſnenſium, & Primatum Principumq; Regni Apice ſummo, & faſtigio. Ceterùm omni ambitu procul, prima cura fuit, quâ non alia nobilior, omne laboris honorisq; punctum tuliſſe; inter obſequia & negotia Regalium Majeſtatum: ad quæ gerenda acceſſiſti illo vivido ſpiritu, maſculo adverſus fortuitum omne, Sapientiâ obfirmato; quem ex tot Avis. Atavisq; hauſiſti tantorum Fulgorum capaciſſimum.

Quan-

vertici Pontificio imminentem tenendo. Porro quid aliud, ex Græco Idiomate Evangelium ſonat? Nomenclaturam eius ab εὖ & ἀγγέλλω deducendo, niſi BENE & FELICITER nuntio. Expendant ſecum iugiter boni Præſules, Angelos, conſcientiæ purioris nitore, integritate, manſuetudine, pervigili commiſſorum populorum tutelâ, ſe eſſe debere; ut munus ſuum, ritè impleant, in lenitate Spiritûs, non in procella nec turbine. Cogitent ſe ſegregatos ab humanis cætibus ac conſortijs, non doctrinæ ſalubris ſubtractione; ſed rerum cæleſtium contemplatione: terrenorum contemptu bonorum, niſi ratio pulchrè ac decorè inter ſplendores Aulæ verſandi, uſum horum & adjumentum requirat; extra luxûs immenſa ſtudia, qui cuncta rapit, ut perdat; non ut frugaliter vtatur, non ut prudenter largiatur. Conſiderent, magni referre Antiſtitum, frequentibus docendi, exhortandi, corripiendi, inſtando pugnis; blandimenta vitiorum, ſpecie & umbrâ Virtutis fallentium; aut apertè ingruentium colluviem, toto cælo proſcribere; Virtutum regnum ſtabilire; novas honeſtatis & probitatis Colo-

nias deducere; in tot humanis erroribus, innocentiæ clypeo munitos, ſæpius pœnitentiâ, quâm pœnâ contentos eſſe; parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodâre.

Hoc eſt genuinum BENE & FELICITER nuntiare Præſuleum, TIBI CELSISSIME PRINCEPS, rara feliciſſimæ indolis capacitate; adhuc in cunis antequam loqui poſſes usurpatum. Claris videlicet ſignis & ominibus, Te vix natum adeo BENE FELICITERq; circumſtantibus; ut ſine voce enuntiare ea viderentur: quæ Tu ulterioribus annis præſtiturus, non ſine miraculo, eras. Nimirùm neceſſe eſt, ut màiores notas ventura præmittant, quæ ad magna Superum deſtinatione, non temerè naſcuntur. Septimus dies Menſis Aprilis qui lucis & vitæ auras aperuit, ſimul modos cauſasq; vivendi portendit. Auſpicatiſſimum hunc veteres habuêre, quo nâtum Apollinem credebant: eundemq; ſolennibus ceremonijs, uti Caſtoris & Pollucis natalem, qui cuſtodes Vrbis habebantur, gens Romulea celebrabat. Hæc ethnicæ ſuperſtitionis involucra, falsa licet ſint; Tuæ futuræ magnitudinis, vera augu-

ria

Quanta curarum moles, quanta laudum & laudandorum materies, dicentis obtundunt conatum; quæ tuæ Divinæ mentis intendebant vigorem. Sufficit ad totam laudem, immo omnem ſuperat gloriam, à IOANNE III. & REGINA MARIA CASIMIRA, qui intelligentiâ, prudentiâ, & Sapientiâ, cunctos mortalium antecesſerant, Te ſæpiùs auditum, ſemper laudatum, probatumq́, tantorum æſtimationem Principum, maiorum immenſæ Virtutis moliminum incitamentum habuiſſe. Cùm ergo in facie utriuſq; Maieſtatis & Sereniſſimæ Reipublicæ, more modoq; Doctoris gentium, è ſacro ſuggeſtu fulminares; vel cum Magno Ambroſio, meram ambroſiam & nectarea verba funderes, quandoq; in nevos delinquentium, virilis Eloquentiæ aculeos ſtringeres: vel cum D. Chriſologo Divinæ charitatis aurum, ore facundo promeres; affuſis audientium populorum agminibus, Te BENE & FELICITER omnia nuntiare vidit probavitq; Rex, tantus æſtimator ingeniorum; quantus hoſtium triumphator; bellorum tonitru, ſubiectorum Cenſura & Serenitas. Vidit, & Faſcibus Præſuleis or-

M nare

nare non distulit, & fidissimi Ephestionis, cuius fidem, prudentiam, industriám, exploratam habuisset; non os, quo Regum oracula promuntur, a quo iura populi accipiunt; ast animum, ad fidele obsequium Maioris annuli gemmâ obsignavit: Supremum Regni CANCELLARIVM eligendo. Magistratus hic, non nisi exercitatissimi in publicis negotijs causisq; gravioribus ingenij & judicij munus æquè onerosum ac gloriosum censetur. Sacratiorem Areopagum dixeris, in quo humani generis fata librantur versanturq; luctamina populorum componuntur: aut Religione venerandum justitiæ delubrum, quo ex toto Regno vota miserorum supplicumq; concurrunt: Regium aureæ libertatis augustal, legum tutelam, & acerrimam custodiam, cuius beneficio, Maiores nostri non Regem in imperio, sed leges in Rege timeri volebant: tenacissimum Reipublicæ vinculum, quo duæ diversæ res Majestas & libertas pulcherrimè cohærent. Tàm ardui & difficillimi negotij genus, inter tot fulmina fatorum supremam planè Regno ruinam aut tristem Cathastrophen minantium, tot Civilium

fluctu-

fluctuum periculosas agitationes, quàm placidè, sanctè, salutariter, magno animo & consilio expediveris: Regis & Reipublicæ consensus approbat & applaudit. Ambigua Invictissimi AVGVSTI II. Regis Poloniarum, regnandi auspicia; cum faustis ominibus erexeris, optimis consilijs firmaveris; iure optimo stabilem Regalis gratiæ favorem solidasti: quo factum est, vt dignior omnium censereris, qui Cor Regnatricis Aquilæ & Coronam, in sede Regni & Episcopatûs Tui, PRÆSVL ac PRINCEPS custodires; quæ tantisper in Tuo sinu reclinata, tot adversorum minas gloriosè triumphavit.

Salve igitur bonorum feliciumq; PRINCIPVM ac PRÆSVLVM gemma crystallo nitidior, adamante solidior; cuius integerrimæ mentis decor & fortitudo indumentum. Salve & à facie nimiùm decora dilectissimæ Sponsæ Tuæ, tristià iam tandem vmbrarum velamenta remove: Serenissimo totius lætitiæ vultu, diem gratiarum, pande, atq; Tuo splendore mica. Sis felix populo, qui Tibi vndiq; circumfunditur, nec gaudentis videntisq; desiderium expletur, donec manum erexeris ad

benedicendum. Datum hoc erat felicitati CLEMENTIS VIII, vt primò post millesimum, Sexcentesimum, Magni IUBILEI Anno, & sæculum inauguraret; & GEORGIUM I. EPISCOPVM CRACOVIENSEM, RADIVILIVM CARDINALEM, pium Sanctumq; benedictione Pontificia, ad triumphantis Ecclesiæ possessionem prosequeretur. Verùm melius feliciusq; nobiscum hodie ad Magni IVBILEI celebritatem, peculiaris supremi Numinis indulgentiâ procedet vt Sanctissimus PONTIFEX, eius Nominis CLEMENS XI. & Tu CELSISSIME PRINCEPS II. GEORGIVS EPISCOPVS CRACOUIENSIS, ambo pares annis, è voto solenni publico, primo post Millesimum Septingesimũ Anno, ita sæculum auspicari valeatis, vt & felicitatem sæculi & vitæ longitudinem producatis in ævum. Sic Pater ille Deûm faciat & PONTIFEX sæculorum: sic iste, Vicariâ in terris Apostolicæ potestatis plenitudine supereminens TE OPTIMUM PRÆSVLEM ac PRINCIPEM BENE ac FELICITER Faciat EMINENTISSIMUM.